¶ Duodecima malignitas ē tristicia ⁊ accidia. Nã ille q̄ pdit multa vexat̄ angustia ⁊ q̄n̄q3 aliq̄ ad tantã desparatõez venerũt vt seipos occiderint. ¶ Terciadecia malignitas est pticipatio sceleris. Nam q̄ dant lusorib⁹ pecuniã ad ludẽdũ pro parte lucri mortaliter peccãt. Qui mutuant taxillos vl' domos ad ludendũ ptícipes sunt tãti sceleris. ¶ Quartadecia malignitas est pessima sodomia. Adolescẽtuli eñi miseri vt habeãt ad ludendũ assentiunt om̄i turpitudini dãtib⁹ eis pecunias pro ludo. Propterea hec omnia cominat̄ de⁹ lusorib⁹ dicẽs Isa. lxv. ca. Qui ponitis fortune mẽsam ⁊ libatis super eã nũerabo vos gladio. Ponũt mẽsam fortune q̄ ludũt exponẽtes se fortũe Et isti feriunt̄ gladio diuĩe vltõis siue ĩ p̄senti p tpalia flagella. siue in futuro p eternas penas. ¶ Sed circa h̄ q̄rit̄ q̄d iuris cũ altercantib⁹ duob⁹. puta petro et martino sup aliq̄ rei euentu p̄terito vl' futuro. Puta morte alicui⁹ dñi vel aduentu alicui⁹ p̄ncipis. vn⁹ vt petrus asserit mortuũ talem dñm vel ventuꝝ talẽ p̄ncipẽ ad talẽ ciuitatẽ infra certũ tempus. Qō si sec⁹ fuerit obligat se martino daturũ centũ vel sil'e. Ita tñ ꝙ si ita nõ est vt asseruit martinus q̄ tenebat 2riũ ỽsa vice teneat̄ dare petro centũ vel sil'e ſm cõuentõem adinuicẽ factã. vtrũ tale lucrũ sit licitũ. R̄ñdent doctores ꝙ nõ. sed est turpe lucrũ ꝓcedens ex auaricia ⁊ nulli deſuiens vtilitati sed vanitati. Nõ tam restituere optet de necessitate. sed paupibus est erogandũ. ⁊ h̄ magis ex ↄsilio q̄3 ex p̄cepto. Et videt̄ habere silitudinem aliquã ad ludũ q̄3tũ ad futuꝝ euẽtũ. Nulla eñi lex mandat restitutõem in hmõi. ⁊ si lex diuina ⁊ natural' prohibeat omnez actũ auaricie ⁊ illicite acq̄sitõis vt meretricij ⁊ torneamenti.

De varijs opinionib⁹ an sint restituẽda acq̄sita p ludos prohibitos ¶ Ca. iij

Terciũ mysteriũ declarandũ de ludo ē restitutõis. Scd̄z ei Tho. ij. ij. In trib⁹ casib⁹ tenet̄ q̄s restituere qd̄ acq̄siuit p ludũ de iure diuino. ita ꝙ nõ debet paupib⁹ erogari sed restitui. nisi cum nescirent̄ vel nõ inuenirent̄ psone sicut accidit in alijs restitutõibus. ¶ Primus casus ē cũ acq̄rit q̄s ab his q̄ alienare nõ possũt ſm Raymũdũ vt sc̄ furiosi prodigi. minores. xx. annis. ⁊ maxime pupilli ⁊ mẽtecapti. surdi. muti ceci ⁊ q̄ ppetuo morbo laborãt. Quia eniz tales rei sue prouidere nõ p̄nt dandi sũt eis tutores vel curatores. Instituta d̄ curatoribus. §. furiosi. Et quod dictũ ē de prodigis videt̄ intelligendũ de his q̄b⁹ ratõe prodigalitatis dati sunt curatores a iudice ⁊ nõ de alijs. Serui etiã cũ q̄cq̄d habẽt sit dñoꝝ. Et quicq̄d ſuus vtil' acquirit dño suo acquirit. C. p quas psonas nobis acq̄rit̄. l. j. ff. de tpib⁹ publicis. l. Pecuniã. q̄re ipi serui alienare ñ p̄nt. Sed religiosi si q̄ haberẽt ad vsũ suũ vl' p administratõem illa tñ donare vl' alienare nõ p̄nt illicite vt in ludis. vñ q̄ eis vincerẽt etiã p̄latis ad restitutõem tenẽt̄. vel monasterijs vel p̄latis. Clerici q̄3tuz ad res eccl'ie alienare nõ possunt in ludis. Filijfamilias qui emãcipati ñ sũt a p̄re alienare nõ possũt p ludu3 vl' alios modos. Sil'r vxores si nõ habẽt parafrenalia. Qui itaq3 acq̄rit ab his p ludũ tenet̄ restituere tutorib⁹ vel curatorib⁹ vel p̄latis aut dñis coꝝ. nisi forte sit q̄d modicũ de q̄ p̄sumi posset ꝙ curatores ⁊ alij p̄nominati nõ curarẽt. ¶ Scd̄s casus ē cũ acquirit quis p fraudes. puta vtẽdo falsis taxillis vel alio mõ decipiẽdo. Nã h̄ restituẽdũ est ei qui amisit vel habẽti curaz eius. Reputat̄ eñi hoc vt furtũ. ¶ Tercius casus ē cũ q̄s attraxit aliquẽ ad ludũ p vim vel nimiã importunitatẽ siue ĩ p̄ncipio ludi siue ĩ medio cũ ali⁹ vellet dimittere ludũ ⁊ ali⁹ nõ finit. Cũ aũt quis

lucrat̃ in ludo cū volūtario valēre alie-
nare ⁊ sine fraude· an restituere teneatur
Aliq̄ dicūt q̃ dz illud paupib⁹ erogare
⁊ de necessitate ⁊ non posse sibi retinere·
Alij vero dicūt h̃ de honestate ↄsilij nō de
necessitate p̃cepti fiendū· Et q̄uis p̄ma
opinio sit securior ⁊ ideo poti⁹ ↄsulēda
nō tñ de necessitate imponēda· Nā Tho
mas ⁊ Richar· in· iiij· nil dicūt de eroga-
tione paupib⁹ fiēda q̃ ad eos qui nō sūt
astricti legib⁹ imp̄ialibus· Jo̾es and· et
Jo̾es calderini sup̄· c· Clerici· de vita et
honestate clericoꝝ· dicūt tutū esse talia
paupib⁹ erogare nō tñ dicūt fore neces-
sariū· Francisc⁹ de zarabellis dic̃ posse d̃
fendi talē opinionē· s· q̃ nō debeāt oīno
talia paupibus erogari· q: cōsuetudo po
tuit dominiū p̄dentis in vincentē trāsfer
re· Johānes de imola ista allegat ⁊ nō re
probat· Raymūdus etiā in sūma sua di
cit q̃ lz multi sapientes dixerint acq̄sita
p̄ ludos alee nō restituēda sed paupib⁹
eroganda· Tñ mō sic seruat̃ q̃ nec ad e-
rogandū paupibus sunt cogēdi· Sed fie
ri pōt de h̄mōi elemosyna sic̃ de meretri-
cio· quod vtiq̃ ↄsulit̃ nō imperat̃· Pe
trus de palude dicit in q̄rto aliq̄s tenere
q̃ q̄ nō est locupletior amplius nō tenet̃·
qui· s· p̄didit quod p̄ ludū fuerat lucrat⁹
lege hūana prohibitū· q: talis nō erat ob
ligatus paupibus rōe alicui⁹ recepti ab
eis vel cōmissi in eos· Igit̃ ne det̃ via lu
dis ⁊ turpib⁹ lucris ↄsulendū est et per-
suadendū ad erogādū paupib⁹ ⁊ p̄cipue
q̄tū ad illud quod remanet in lucro vl-
tra p̄dita in eo ⁊ alia saltim paulatim et
p̄ interualla tempoꝝ· Non tñ vt ē dictū
q̄s est ad h̃ cogend⁹· sed discrete si fieri
potest inducend⁹· Corrigant se itaq̃ lu-
sores ⁊ reuertant̃ ad dñm· quia ip̄e dabit
illis grām ⁊ tandem gl̃iam sempiternā·
Amen·

Feria tercia post dominicā oliuarum
De pctō odij· Sermo· xliiij

ODerūt me gra
tis· Scribunt̃ hec v̄ba· ps· xxxiiij·
Suffocauit mētes pharisꝫoꝝ
ardens odiū qđ ad christū propter suā
iniq̄tatē habebāt· Illo cm̄ excecati omnē
iusticiā p̄uerterūt· oīsq̃ humanitatis obli
ti mortē crudelissimā innocentis iesu p̄cu
rare conati sunt· Siles aūt illis efficiun
tur plerique christiani· q̄ odio proximoꝝ
detēti nec ↄfiteri neq̃ cōicare volūt· In
ueterata q̄ppe odia ⁊ inimicicias retinē
tes diabolo potius placere student q̄
christo· Non mouent̃ stimulo cōsciētie·
nō p̄ceptis eccl̃ie· nō amicoꝝ suasiōe· nō
doctrina p̄dicatoꝝ· nō deniq̃ mēoria chri
sti iesu pro nobis crucifixi· Idcirco in p̄
senti s̄mone decreui d̃ odio in generali lo
qui de q̄ redemptor noster dicit v̄ba pro
posita affirmās q̃ iudei oderūt cum grīs
id est sine causa· Distinguemus autē tri
plex odium·

¶ Primū est odiū dei·
¶ Secundū est odiū sui·
¶ Tercium est odiū proximi·

De odio dei qualiter· s· et ex q̄ causa
pōt haberi odio· et q̃ odiū dei ē grauissimū
peccatoꝝ· Cap· primū·

PRimū est odiū dei sūme fugiēdū
ad detestandū de quo considere
mus tria scilicet·
¶ Possibilitatem·
¶ Causalitatem
¶ Grauitatem·
¶ Primo ↄsiderem⁹ de odio dei possibili
tatē· quō videlicz possit de⁹ haberi odio
Qđ sic declarat Tho· ij· ij· q· xxxiiij· Odi
um inquit est q̄dā mot⁹ appetitiue potē
tie q̄ nō mouet̃ nisi ab aliq̄ apph̄ēso· De⁹
autē dupliciter apph̄ēdi siue cognosci p̄t
ab hoīe· Vno mō s̄m seip̄m· puta cū p̄ es
sentiā videt̃· Alio mō p̄ effect⁹ suos cū
scz inuisibilia dei p̄ ea que facta sunt itel
lecta cōspiciūt̃· Deus aūt p̄ essentiā suā

est ipa bonitas quā null⁹ odio hr̄e pōt·
q: de rōe boni est q̄ amet· Et iō impossi
bile est q̄ aliqs vidēs deū p essentiā illuz
odio habeat· Vn̄ Diony· li· de diuis noī
bus ·c· iiij· ait· Oib⁹ amabile ⁊ diligibile
est pmū bonū ⁊ pulchrū· Est aūt ipe deus
ipa bonitas ⁊ pulchritudo· Inq̄ztū autē
cognoscit deus p effect⁹ suos sciendū q̄
aliq effectus dei sunt q nō possunt vllo
mō ↄtrariari volūtati hūane vt esse viue
re ⁊ intelligere· Volib; aūt hoꝝ est appe
tibile ⁊ amabile oib⁹· vn̄ sm̄ q̄ deus app
hendit vt actoꝛ hoꝝ effectuū· vicz inq̄ztū
est creatoꝛ bn̄factoꝛ vitas ⁊ hmōi nō po/
test odio haberi· Ideo Dionysi⁹ ait q̄ de
us omnia ↄuertit ad seipm inq̄ztū· s· est
omnib⁹ pncipiū essendi· q: omnia inq̄ztū
sunt tendūt in dei similitudinē q est ipsū
esse· ¶ Scdo cōsiderem⁹ de odio dei cau/
salitatē· Nā sunt qdā effect⁹ dei q ex ma
licia hoīm sunt ipis causa vt deū odiant
q: repugnāt inordiate hūane volūtati·
Hi sunt prohibitio petōꝝ· Inflictio ad
uersoꝝ· Et denegatio desideratoꝝ· Ex h
em̄ q̄ deus prohibet aliq mala q aliq vel
lēt facere· Sed ↄscia remordet ⁊ nō sinit
ita libere agere sine stimulo remordente·
vel etiā q: alij nō assentiūt male volūta/
ti eoꝝ ex prohibitōe dei· ideo odiūt deuz q
talia prohibuit· Aliq vo odiūt deū pro/
pter aduersa q sustinēt a deo · ⁊ de nūero
istoꝝ sunt dānati de qbus in ps· dr· Su
pbia eoꝝ q te oderūt ascendit sp· Nō ta/
men ois q odit penas odit deū · Nā mlti
tolerāt patiēter penas ex reuerētia diui/
na· Sed prorūpe in odiū ipi⁹ dei punien
tis tanq̄ iiuste puniat qd faciūt dampna
ti h est odire diuinā iusticiā· Alij vo odi
unt deū cū nō implet illoꝝ ↄsideria· qd se
pe facit pro ipoꝝ bn̄ficio qbus dicere pt
Nescitis qd petatis· ¶ Tercio ↄsiderē⁹
de odio dei guitatē· Est qppe pctm̄ istd
guissimū· ⁊ vt inquit Tho · Oim pecca/
toꝝ pessimū q: opponit dilectōi dei q est
optimū hois· Et sm̄ phm̄· viij· ethicoꝝ·
optimo opponit pessimū · Insup defe/
ctus peccati ↄsistit in auersiōe a deo que
auersio rōem peccati nō haberet nisi vo/
lūtaria esset· vnde pctm̄ cōsistit in volun
taria auersiōe a deo · Sed hec volūtaria
auersio p se importat in odio dei· In ali
is vo peccatis pticipatiue ⁊ q̄si p aliud·
Sicut eni voluntas p se inheret ei quod
amat· ita p se refugit id qd odit· vnde q̄n
aliqs odit deū auertit ab eo sm̄ se volū/
tas eius· Sed in alijs petis· puta cum
fornicat nō auertit a deo sm̄ se sed sm̄ a/
liud· inq̄ztū· s· appetit inordinatā delecta
tionē que hz annexam auersionem a deo·
Sp aūt id qd est p se est poti⁹ eo qd est
p aliud·

De odio suipi⁹ et quō vnusqsq; tenet
ex charitate diligere se ⁊ corpus ꝓpriū· ⁊
q̄ petōres nō se diligunt Cap· ij·

Secundū est odiū suipius cū qs
odit semetipm· Sz vt clari⁹ hoc
intelligat tria hoc loco dubia sūt
disputanda·

¶ Primū vtrū homo teneat diligere se/
metipm ex charitate

¶ Scdm vtrū corpa nostra sint ex chari
tate diligenda·

¶ Terciū vtrū petōres diligant seipos·

Ad primū dubiū rn̄det Tho· ij· ij· q·
xxv· q̄ cū caritas sit amicicia qdā dupli
citer possum⁹ loq de charitate· Vno mō
sb cōi rōe amicicie· Et sm̄ h dicendū ē q̄
amicicia ꝓprie nō habet ad seipm sz ali/
qd maius amicicia· q: amicicia vnionez
quādā importat· Dicit em̄ Dionysi⁹ q̄
amoꝛ est virtus vnitiua· vnicuiq; autez
ad seipm est vnitas q est potioꝛ vnione·
vnde sic vnitas est pncipiū vnionis· ita
amoꝛ quo quis diligit seipm est forma ⁊
radix amicicie· In hoc eni amiciciā habe
mus ad alios q̄ ad eos nos habemus si
cut ad nosipos· Dicit em̄· ix· ethicoꝝ q̄
amicabilia q sunt ad alteꝝ venerūt ex his

que sunt ad seipm. Sicut autē de princi
pijs nō habet sciētia. sed aliqd maius
scz intellectus. Alio mō possum⁹ loqui
de charitate ꝭm propriā rōem ipsius. pro
ut. s. est amicicia homīs ad deū principa
liter ⁊ ex cōsequenti ad ea q̄ sunt dei. inf
que est etiā ipe homo q̇ charitatē habet.
sicut et inter cetera que ex charitate dili
git. Quare homo diligit seipm ex chari
tate ꝭm ꝓpriā ratiōem charitatis nō ꝭm
cōem. ꝭm quā dicit Gregori⁹ in omelia
Min⁹ qꝫ inter duos charitas haberi ñ
potest. ¶ Secundū dubiū fuit vtrū cor
pora nostra sint ex charitate diligenda.
Et q̇dam dicūt ꝙ nō. Primo q: Johā.
xij. c. dicit. Qui amat aīam suā ꝑdet eā.
constat ꝙ aīa nō stat ibi nisi pro vita car
nali. ergo corpa nō sunt diligenda. Se
cūdo nihil est ex charitate diligendū qđ
impedit hoīem ad assecutōem btitudis.
Sed caro corpis nostri est hmōi. ḡ ⁊c.
Ait enī aplus ad Gal. v. ca. Caro cōcu
piscit aduersus spiritū ⁊ spūs aduersus
carnem. Et ad Roma. vij. c. Inuenio a
liā legē in mēbris meis repugnantē legi
mentꝭ mee. Tercio. ratio imaginis siue
expssa assimilatio ad deū est illud quod
facit creaturā diligi ex charitate. Sed i
corpore cōmunicam⁹ cū brutis. nec ꝑfe
ctio imaginis repitur in nobis ex parte
corpis. q̄re ⁊c. Sed contrariū ōnditur ꝑ
scripturas. Nam Aug. li. j. de trinitate
ponit q̄ttuor ex charitate diligenda int
q̄ enumerat corpus. Et apl's ad Ephe.
v. c. ait. Uiri diligere debēt vxores suas
sicut corpa propria. Rñdet ergo ꝭz bo
nauēturā in. iij. di. xxviij. ꝙ cū charitas
sit pond⁹ inclinās ad summū bonū ⁊ ꝑ
fectā beatitudinē omne illud facit dilige
re quod ē beatū vel beatificabile. Cōtin
git aūt aliq̇d esse beatū tripliciter. s. ꝑ es
sentiā ⁊ ꝑ p̄mā influentiā. ⁊ ꝑ quandam
redundantiā. Hinc est ꝙ oīa ista sunt ex
charitate diligēda ꝭm ꝑus et posterius.

ꝭm magis et min⁹. btm aūt ꝑ essentiam
est solus deus. beatū ꝑ primā influentiā
est spūs rationalis. beatū deniqꝫ ꝑ q̄ndā
redundantiā est corpus humanū. in qđ
gaudiū glorie redūdat ꝑ coniunctionem
sui ad aīam beatā. Hinc est ꝙ charitas
facit nos diligere deū ⁊ etiā rōnalē spm.
⁊ etiā corpus nostrū. ¶ Ad primū in cō
trariū adductū est dicendū ꝙ in corpore
nostro est viciositas cōcupiscentie ⁊ bo
nitas nature. Et q: viciositas cōcupiscē
tie inclinat ad malū ideo est odienda. et
si q̇s eam diligit odit aīam suam. Quia
vero bonitas nature ordinata ē ad sūmū
bonū quodāmodo cōꝑticipandū. ideo ē
diligenda. Cū ergo deus hortat ad odiē
dā aīam nrām siue carnalē vitā. ex h̄ non
ꝯcludit ꝙ corpa nostra nō sint ex chari
tate diligenda simpl'r sed ꝙ nō sunt dili
genda q̄ꝫtū ad viciositatē cōcupiscentie.
Ex h̄ patet rñsio ad scōm obiectū ꝙ ca
ro nō repugnat spūi. nec impedit ad as
sequendā beatitudinē ꝓpter bonitatē na
ture. sed ꝓpter viciositatē cōcupiscentie
contracte. ¶ Ad terciū vero dicit Bona
uentura. ꝙ licz corpus humanū non sit
ad imaginem dei ꝑ se. tñ vnitū est aīe q̄
est ad dei imaginē. vnitum inquā in vni
tate nature. Et ratione illius est beatitu
dinis cōparticipabile. Ideo est ex chari
tate diligendū. ¶ Terciū dubiū fuit vtrū
peccatores diligant seipsos. Et ꝙ nō vi
detur ex verbis Dauid in psal. dicentis
Qui diligit iniq̇tatē odit aīam suā. Sz
cōtra arguit. Primo q: illud quod ē p̄n
cipiū peccati maxime in pctōrib⁹ repit.
Sed amor sui est principiū pctī. ḡ maxi
me in peccatoribus reperit. Nam vt di
cit Aug. li. xiiij. de ciui. Amor sui facit ci
uitatem babylonis. Scđo arguit quia
peccatū nō tollit naturā. Sed h̄ vnicui
qꝫ cōuenit ex sui natura ꝙ diligat seipm
vñ etiā creature irrōnales appetūt ꝓpri
um bonū. puta conseruatōnem sui esse et

alia hmōi· ꝙ pctōres diligūt seipos· Ter
tio arguit· q꞉ ſm dionisiū li· de diuis no
minib⁹· Oībus est diligibile bonū· ſ꞉ mlˀ
ti pctōres reputāt se bonos· ꝙ multi pec
catores diligūt seipos· ¶ Rn̄det his tho
mas· ij· ij· q· xxv· ꝙ amare seipm vno mō
cōe est oībus· Alio mō ꝓpriū est bonorū
Tertio mō ꝓpriū est maloꝝ· Cū em̄ ali
ꝗs amet id qđ seipm eē existimat· h̄ cōe ē
oībus· Homo aūt dr̄ eē aliqđ dupliciť·
Uno mō ſm sbstantiā suā ⁊ naturā ⁊ ſm
h̄ om̄es estimant ſm bonū cōe se eē id qđ
sūt· s· ex aīa ⁊ corꝑe cōpositos ⁊ sic om̄es
hoīes bōi ⁊ mali diligūt seipos iq̄ꝫtuꝫ di
ligūt suiipoꝝ ꝯſuatōꝫ qđ naturale ē· vn̄
nec vitiū Jō Cicero in pmo de officijs ait
Principio generi aīantiū om̄i est a natu
ra tributū vt se vitā corpusq꞉ suuꝫ tueaṫ
declineṫq꞉ ea q̄ nocitura videanṫ· Alio
mō dr̄ homo aliq̄d esse ſm pncipalitateꝫ
Sicut pnceps ciuitatis dr̄ eē ciuitas· vn̄
qđ pncipes faciūt dr̄ facere ciuitas· Sic
aūt nō om̄es estimāt se esse qđ sūt· Prin
cipale em̄ in hoīe est mens rōnalis· Se
cūdariū est natura sensitiua ⁊ corꝑalis·
Quoꝝ pmū Apl's noīat interiorē hoīeꝫ
scdm ꝟo hoīeꝫ exteriorē· ij· ad corinth· iiij·
c· dicēs· Lꝫ is q̄ noster est hō exterior cor
rūpaṫ· s· corpus· tm̄ is q̄ nr̄ est hō interior
renouaṫ de die in diē· idest mens rōnalis
Mali igr̄ estimāt pncipale esse in eis na
turā sensitiuā vt corp⁹· vn̄ nō recte cog
noscētes nō ꝟe diligūt seipos· q꞉ nō ſꝫ id
qđ vere est pncipale in eis· Boni ꝟo co
gnoscētes ꝟe seipos· vere seipos diligūt
q꞉ ſm id qđ ꝟe est pncipale in eis· id ē ſꝫ
mentē rōnalē Et h̄ ꝓbat Phs· ix· ethico
rū ꝑ q̄nq꞉ q̄ sūt amicitie ꝓpria· vnusq̄sq꞉
em̄ amic⁹ Primo q̄dē vult suū amicū eē
⁊ viuere· Scđo vult ei bona Tertio oꝑa
tur bōa ad ipm· Quarto conuiuit ei delec
tabiliter· Quīto ꝯcordat cū ipo in eisdē
ꝯtristat⁹ ⁊ delectat⁹· Et ſm h̄ bōi diligūt
seipos q̄ꝫtū ad interiorē hoīem· q꞉ volūt
ipm ſuari in sua integritate ⁊ optāt ei bo
na q̄ sūt bōa spūalia Et oꝑanṫ diligēter
spūalia bōa Et delectabile ad cor ꝓpriuꝫ
redeūt q꞉ ibi iueniūt bonas cogitatōes in
pn̄ti ⁊ mēoriā bonoꝝ pteritoꝝ ⁊ spem fu
ture beatitudinis ex q̄bus delectatio cau
satur· Silr̄ etiā nō patiūtur in seipis vo
lūtatꝫ dissensionē q꞉ tota aīa coꝝ tendit
in vnū· E cōtrario aūt mali nō volūt cō
ſuari integritatē interiorꝫ hoīs neq꞉ ap
petūt spūalia ei⁹ bōa neq꞉ ad hec oꝑanṫ
neq꞉ delectabile est eis secū ꝯuiuere rede
undo ad cor q꞉ inueniūt ibi mala ⁊ pn̄tia
⁊ futura q̄ ⁊ pterita q̄ abhorrent· neq꞉ eti
am sibiipis ꝯcordāt ꝓpter ꝯsciam remor
dentē· Et sic ꝯcludēdo rn̄det Tho· ad p
mū argu· ꝙ mali amāt semetipos amore
illo ꝓprio q̄ est ipoꝝ maloꝝ ꝑueniens vs
q꞉ ad ꝯtemptū dei· q꞉ sic inclinanṫ ad ex
teriora bona ꝙ spūalia ꝯtemnunt· ¶ Ad
scdm aūt arg· dic Tho· ꝙ naturalˀ amor
nō tolliṫ a malis sed ꝑuertiṫ mō iā dicto
¶ Ad tertiū ꝟo arg· dicendū ꝙ mali qui
se rputāt bonos decipiūt seipos ⁊ ita a
mor eoꝝ ad se est apparēs· qm̄ q̄ faciunt
iniq̄tatē hostes sūt aīe sue· Propṫea xp̄s
dixit Johānis· xij· ca· Qui amat animā
suā perdet eam· Et qui odit aīam suam
in hoc mundo ī vitā eternā custodit eaꝫ·
Amare animā in hoc mūdo est hec tēpo
ralia bona cū peccato velle ⁊ acq̄rere Et
licet hoc videaṫ ex amore ꝓcedere· odio
tamen magis est imputandū· quia sic ac
quiritur eterna perditio·

¶ Qđ odiū proximi est graue peccatum
⁊ de originalibus eius causis atq꞉ tribus
pessimis fructibus ab odio ꝓcedētibus·

¶ Cap· tertiū

Tertium est odiu proximi· de quo
considerenus tria videlicet
¶ Primo eius offensionem
¶ Secundo eius originationē
¶ Tertio eius fructificationē

Primo cōsideremus ꝺ odio proximi
offensionē. Est enī peccatuȝ odiū proxi
mi ab aliis distinctū ꝛ mortale qn̄ est ſm
deliberatōem rōis. Qđ probat᷑. nā Johā
nes ꝑma sua canonica. c. ii. ait. Qui odit
frēm suū in tenebris ē. Et. iii. c. Qui odit
frēm suū homicida ē. s. aīe sue. Et de pe.
di. i. c. homicidioꝝ. Nam ꝗ occidit ꝛ qui
odit ꝛ ꝗ detrahit pariter homicida est.
¶ Sed posset ꝗs obiicere ꝙ nō oē odiuȝ
proximi sit peccatū. Et ꝑmo probatur
quia nullū pctm̄ inuenit᷑ in p̄ceptis vel i
ꝯsiliis diuine legis. ſm illud Prouerbi
oꝝ. viii. c. Recti sunt oēs ſmōes mei. vn̄
nō est in eis prauū ꝗd neqꝫ ꝑuersū. Sed
Luce. xviii. dicit᷑. Si ꝗs venit ad me et
nō odit patrē suū et matrē ꝛ vxorē et fili
os adhuc autē ꝛ aīam suā nō pōt meꝰ esse
discipulꝰ. Scđo probat᷑ ꝙ odiū proxi
mi nō semꝑ sit peccatū. Nam odire pec
catores nō est peccatū. sed pctōres sūt ꝓ
ximi nostri. quia vt dicit Augꝰ. in ꝑmo
de doctrina christiana. Cū đr. diliges ꝓ
ximū tuū omnē hoīem noueris proximū
esse putādū. ergo ꝛc. Q᷑ āt pctōres odio
sint habēdi ꝑꝫ ex ꝟbo Dauid sancti qui
dixit. Iniꝗs odio habui ꝛ legē tuā dile
xi. Insuꝑ pctōribꝰ exoptabat mala inꝗ
ens. Conuertant᷑ pctōres in infernum
Tercio probat᷑ ꝙ odiū proximi nō sem
per sit pctm̄. Oīe em̄ peccatū repugnat
nature. sed odire inimicū ē naturale ꝰ ꝛc.
Rn̄det tho. ii. ii. q. xxv. ꝛ. q. xxxiiii. ꝙ duo
ꝑn̄t in hoīe ꝯsiderari. natura. s. ꝛ culpa.
ſm naturā quā a deo habēt capaces sūt
btitudinis. suꝑ cuiꝰ cōmūicatōe fundat᷑
charitas. ꝛ ſm h̔ oēs hoīes diligēdi sunt
boni ꝛ mali. ꝛ nullꝰ odiendꝰ. ſm culpam
ꝟo q̄ aduersant᷑ deo pctōres sunt odiēdi
etiā pater ꝛ mater ꝛ ꝓpinꝗ. Debemꝰ enī
in pctōribꝰ odire ꝙ pctōres sunt sed dili
gere ꝙ hoīes sūt. Vn̄ Leo papa di. lxxx
vi. c. odio. Odio inꝗt habeant᷑ pctā ꝛ n̄
hoīes. Et sic soluunt᷑ obiecta. Nā parē
tes q̄ꝫtū ad naturā ꝛ affinitatē qua nobis
ꝯiūgunt᷑ ſm p̄ceptū dei ꝛ nature diligen
di sunt ꝛ honorādi. Odiendi aūt sūt q̄n
tū ad h̔ ꝙ impedimētū ꝑstāt nobis tēden
di ad ꝑfectionē diuīe iusticie. Sic dauid
odio habebat pctōres qꝛ odiebat illoꝝ
iniꝗtatē. Silr̄ inimici habēdi sunt odio
non q̄ꝫtū ad naturā ꝛ bona q̄ habēt a deo
sed q̄ꝫtū ad eoꝝ culpā ſm quā sunt nobis
inimici. ¶ Scđo ꝯsideremꝰ de odio pro
ximi originatiōeȝ. ſm em̄ Durādū ordis
minoꝝ in sūma sua ex triplici causa orit᷑
odium.
¶ Prima est displicentia veritatis.
¶ Secūda est displicentia bonitatis.
¶ Tercia displicentia recepte penalitatꝭ
Prima est displicētia ꝟitatis. Aliꝗ
em̄ sunt ita ꝑuersi ꝙ odio habēt diligen
tes se ꝛ amāt odiētes se. id ē ꝗ ꝟe nocent
sibi inducētes ad mala. ꝛ ecōuerso retra
hētes a malꝭ ꝑ admonitōeȝ odiūt. ꝛ h̔ pro
pter displicentiā ꝟitatis. vn̄ Terentius
ait. Veritas odiū parit. De nūero hoꝝ
fuit achab rex isrl̄ ꝗ dicebat de Michea
ꝓpheta. Ego odi eū quia nō ꝓpherat mi
hi bonū sed tm̄ malū. vt scribit᷑. iii. Reg.
xxii. c. Quia em̄ dicebat sibi ꝟitatē repre
hendēs eū ꝛ ꝑnūcians q̄ incurreret cū po
pulo ꝓpter pctā sua ꝛ nō adulabat᷑ regi
vt pseudo ꝓphete ꝗ ꝑnūciabāt sibi ꝓspa
ideo ip̄m micheā odiebat. ¶ Scđa cā ex
q̄ nascit᷑ odiū est displicētia bonitatꝭ. ma
li em̄ eo ip̄o ꝙ mali sunt bonos videre vł
bona de eis audire nō possūt. Qđ proce
dit ex inuidia. vel qꝛ virtꝰ bonoꝝ ꝯfun
dit et obscurat maliciā iniꝗꝝ. Sic Geñ.
xxxvii. c. đr de ioseph ꝙ oderāt eū fratres
sui. nec poterant ei ꝗcꝙ pacifice loꝗ. q̄đ
erat ꝓpter singularē bonitatē eiꝰ. vnusꝗs
qꝫ em̄ ait Hiero. moribꝰ suis fauet. Sic
em̄ ouis delectabilit᷑ cōuersat᷑ cū oue. ꝛ lu
pus cū lupo. ita ꝛ malus delectat᷑ ꝛ amat
malos siles sibi. ꝛ bonos ꝯ̄rios moribꝰ
suis odit. ¶ Tercia cā ex q̄ orit᷑ odiū est

displicētia ɔcepta et aliq̄ iniuria recep/
ta· Sicut absalon odiebat amon frēz su
um ꝓpter oppssionē sororis sue thamar
simulauitq; displicentiā q̄usq; vindica
ret iniuriā fratre occiso· vt scribit· ij· Re
gū· xiij· c· Sic esau oderat frēz suū iacob
ꝛ minabat eū occidere q2 abstulerat ius
ꝓmogeniture ꝛ paternā bn̄dictōez· vt pa
tet Gen̄· xxvij· c· qđ tn̄ iacob iuste fecerat
Est autem pctm̄ istud multū generale et
satis multiplicatū· Nam vix hoīes odi
um semel cōceptū nolūt dimittere q̄si li
citū eis videat· Nec aduertūt ꝙ dum in
odio manēt nō tm̄ vnū peccatū mortale
cōmittūt sed totiēs q̄tiens iniuriā rece/
ptā ad memoriā reuocātes actualiter il
lis optāt mala q̄s odiūt· Qđ aūt dictū
est antiq̄s· Odio hēb inimicū tuū Ma
thei· v· c· nō erat illa sentētia in lege dei· sꝫ
falsa glosa quā faciebāt legis doctores su
per illud Leui· xvi· c· Diliges amicū tu/
um sicut teipm̄· ex h̄ arguebant a ɔtrario
sensu dicētes· Ex quo amic⁹ diligi p̄cipit
ergo ꝑ ɔtrariū inimic⁹ odiri mandatur·
Sed tale argumentū est validū qn̄ ɔriū
nō habet in lege· Sed exp̄sse mandabat
deus cōtrariū in ip̄a lege statuēs ꝙ si q̄s
trāsiens ꝑ viā videret iumentū inimici
sb sarcina in terrā lapsum nō ptransiret
sed iuuaret ad leuandū ip̄ꝫ· Ideo christ⁹
talē falsam expositōnem reprobans ait
Ego aūt dico vobis· Diligite inimicos
vros· ¶ Tercio cōsideremus de odio pro
ximi fructificatōem· Producit em̄ tres
pessimos fructus·
¶ Primus est cordis obduratio
¶ Secūdus crudelitatis actio
¶ Tercius dānificatōis malignatio·
Primus fructus est cordis obduratō
odiū em̄ inter cetera peccata idurat cor
terribilit̄ vt merito possit de odiēte veri
ficari illud qđ dicit Iob· xli· Cor ei⁹ in
durabit quasi lapis· Conditōes aūt du
ri cordis ponit Bern̄· in libro de cōsola/
tione ad Eugeniū dicens· Cor durū est
qđ nec cōpūctiōe scindit· pietate nō mol
litur· p̄cib⁹ nō flectit· minis nō cedit· fla
gellis obdurat. Cor duꝝ ait sapiēs male
habebit in nouissimo· Hec oīa impleri
vident in odiente· Nā cor ei⁹ nō pōt ha
bere contritōem vnde nec in ɔfessiōe ab
solutōem· nec veniā nec cōmunionē· Ex
p̄sse em̄ dicit de pe· di· v· c· Falsas· ꝙ tal
q̄ odiū tenet in corde admitti nō debꝫ ad
penitentiā· s· ꝙ absoluat a cōfessore· et
q̄nto magis ꝑmanet in odio tāto magis i
durat· Pietate nō mollit talis· q2 ꝛ si vi
deat inimicū in aduersitate nō cōpatitur
sed appetit ei maiora mala vsq; ad con
sumptōem· Sic iudei odiētes christū nō
fuerūt moti pietate ad ip̄m cū viderēt eū
terribiliter flagellatū qđ fecerat pilatus
ad flectendū eos ad pietatē erga eū· sed
voluerūt eū om̄ino crucifigi vt satiaren
tur de penis acerbissimis ei⁹ ꝛ opprobri
is· Nec flectit p̄cibus odiēs· nā si amici
vicini ꝛ religiosi ꝛ p̄lati dep̄cent tales vt
odia dimittāt ꝛ inimicicias nō acq̄escūt·
Nō cedit minis odiēs· q2 ꝛ si fiāt eis cō
minatōes a p̄dicatorib⁹ multoꝝ malorū
q̄ deus pro odio suo inferret ꝛ p̄cipue dā
natōis eterne nō videt curare· Flagellis
obdurat· Nā incurrit in dāna ꝛ infirmi
tates mortē familie sentit· ꝛ tn̄ odium te
net· vnde ꝛ in nouissimo male habebit q2
in morte cū odio trāsiens a demōib⁹ cru/
ciandus ad inferna descēdet· ¶ Scđs pes
simus fruct⁹ odij est crudelitas· Cayn ex
odio ita crudel' fact⁹ ē vt nō parceret ger
mano abel innocēti· Gen̄· iiij· c· Egyptij
q̄ oderāt hebreos. vt habet Exo· i· ca· af
fligebāt eos multis modis vsq; ad sub/
uersiōez ꝑuuloꝝ nascētiū i flumie· ¶ Ter
ci⁹ fruct⁹ odij ē dānificatio· Nā odiēs q̄
rit in exoso septē genera dānoꝝ vel sil' vt
separatim ꝛ i q̄libet cōmittit mortale· Pri
mū dānū i sb̄stātia apperēs ꝙ ip̄aꝫ amit
tat vel diminuat ꝛ ad h̄ ꝑgat si pōt ꝑ se

vel ꝑ alios. Scdm̄ dānū in fama q₂ de
trahit sibi ⁊ bōa audita de exoso ꝑuertit.
Terciuȝ dānū in patria. q₂ q̄rit quō ex/
pellat̄ de ciuitate vl̄ saltem h̄ desiderat
Quartū dānū i familia q₂ appetit infir
mitatē vel mortē filioꝝ vl̄ damnatōēȝ et
īiurias ei⁹. Quintū dānū in libertate. q₂
appetit ꝙ incarceret̄ ꝓpt̄ debita ⁊ filia.
Sextū dānū in corꝑe. q₂ cupit illū infir
mari vl̄ mori. vn̄ ⁊ si ip̄e nō occidat desi/
derat ꝙ de⁹ vel ali⁹ id faciat. Septimuȝ
damnū est i aīa q₂ vellet aīaȝ ei⁹ ad infer
na descēdere. Sed ecōuerso deponētibus
odia ꝓpter christū ⁊ inimicꝭ veniā petē/
tib⁹ ob ei⁹ amorē indulgētib⁹ abūdātis/
sime gr̄a eius infundit̄. Grādis est vtiqꝫ
hec elēosyna cordis. ⁊ deo bn̄dicto accep
tissima mirū in modū. Dixit em̄ dn̄s ih̄s
xp̄s Mat. vj. c. Si em̄ dimiseritꝭ hoīb⁹
pctā coꝝ dimittet vobis pr̄ vester celestꝭ
pctā vestra. Et vt nos moneret exēplo
existēs i cruce. post vincl'a. post flagella.
p⁹ sputa. post liuores. post coronā spi/
neā pendēs i medio latronū ꝓ suis ꝑse/
cutorib⁹ orauit dicēs. Pr̄ ignosce illis.
q₂ nesciūt q̄d faciūt. O piū v̄bū. O ardēs
dep̄catio. O deniqꝫ inaudita māsuetudo
Nō conq̄rit̄ benign⁹ iesus. Nō imp̄cat̄
malū iudeis crudelissimis ſꝫ veniā quaȝ
tm̄ nō meruerīt. Idcirco q̄ suo amore odia
deserūt sibi admodū cōplacēt ipisqꝫ sese
q̄dāmodo reddit obligatū. Vn̄ extat exē
plū de scō Johe gualberto. Hic cū mi/
les foret ⁊ iīmicicias haberȝ mortales cū
q̄dā q̄ ei⁹ auūculū int̄fecerat. vna dieruȝ
cū esset armis accinct⁹ ⁊ inuenissȝ inimi
cū suū solū ⁊ inermē aggressus ē eū vt in
terficeret. At ille prostrat⁹ in terrā roga
uit eū ob amorē illi⁹ q̄ tali die pro nobis
oīb⁹ passus fuerat vt sibi iḡsceret. Erat
em̄ sexta feria. Ad cui⁹ p̄ces sbito emol
litū ē cor ei⁹. ⁊ odio deposito dixit. Ob
amorē crucifixi nō possum tibi nō indul
gere. cū ip̄e pro nobis inimicꝭ suis mortē
gustauerit ista die. vade igit̄ secur⁹. ⁊ bn̄
fac q₂ ego oēm iniuriā tibi remitto. P⁹
q̄ō cū accessisset ad ecclīam scī miniatis
ꝓpe florentiā in mōticulo vbi nūc morā
tur mōachi mōtis oliuaꝝ orāti ipi ante
imaginē crucifixi ip̄a imago incliauit si/
bi caput q̄si gr̄as agēs de iniuria r̄missa
inimico ꝓpter eū. Et adhuc ōn̄dit̄ ibi tal'
imago. Et ita ꝯuersus ē ille Johannes
gualbert⁹ ad deū ꝙ dimisso secl'o ordinē
instituit specialē. s. vallis vmbrose ⁊ mi
raculis ml't̄is claruit canonizat⁹ ab eccle
sia. Deponāt̄ ergo odia ⁊ cessent discor
die vt sic digne suscipiētes viuificum sa
cramentū dignos nos faciam⁹ gr̄a chri
sti q̄ est bn̄dictus in secl'a secl'oꝝ Amen.

Feria q̄rta p⁹ dn̄icā oliuaꝝ. De mirā
da ꝯuersione latrōis pēdētis i cruce
Sermo q̄dragesimusq̄ntus

Amen dico ti
bi hodie mecū erꝭ i ꝑadiso. Pijs
simi ih̄u ad latronē loq̄ntꝭ v̄ba
ista sūt originalr̄ Lu. xxiij. c. ⁊ i euāgelio
hodierno. Dū pēdebat i cruce ih̄s xp̄s fi
li⁹ dei pro salute hoīb⁹ afferēda exhibuit
mīicordiā suā latrōi q̄ crucifix⁹ erat a
dextrꝭ ei⁹. In illo q̄ppe fiduciā dat oīb⁹
pctōrib⁹ q̄ ad pn̄iaȝ redire disponūt vt
securi currāt ad pedes saluatorꝭ mūdi q̄
neminē abijcit ad se ꝯfugiētē. Et vt inq̄t
deuot⁹ Ber. hoīeȝ alloq̄ns pctōrē. Caput
hȝ xp̄s inclīatū ad te salutādū. os clausū
ad te osculādū. pedes crucifixos ad tecū
ꝑmanēdū. brachia ap̄ta ad te āplexandū
lat⁹ ap̄tū ad te diligēdū. ⁊ totuȝ corp⁹ in
cruce extēsū ad se totū tibi largiēdū Pro
pterea vt ardēs charitas filij dei ad latro
nē ꝯuersū ⁊ q̄slibet hūiliatos pctōres no
scat̄ in p̄senti ſmone de illo latrone tria
mysteria declarāda studebim⁹.

¶ Primū erit de ipius merito
¶ Secūdū de ip̄ius p̄mio
¶ Terciū de ipius priuilegio

De. vij. v̄tutib⁹ latrōis a spū scō sibi i
fusꝭ i q̄b⁹ appet āplitudo meriti ei⁹. Ca. j.

PRimū mysteriū declarādū erit
de illiꝰ latrōis merito. Nā ple
riqꝫ mirant̄ quō ille q̄ pro suis
scelẽribꝰ publico supplicio ꝯdēnatꝰ fu-
it in extremo vite sue q̄ sibi auferebat̄ vi
olēcia passiōis mereri potuit vitā eťnā.
Quibꝰ rn̄demꝰ ꝙ peccata p̄terita etiā ḡ
uia ⁊ enormissima adhuc ī extremo dele
ri pn̄t ꝑ penitēciā. vnde ⁊ sic penitēs fit
dignꝰ eterna req̄e. Hinc Hiero. ad Da
masū papā. ⁊ de pe. di. i. c. Importūa ait
Christꝰ de cruce in ꝑadisū latronē tulit.
⁊ ne q̄s aliq̄n serā cōuersionē putaret fe
cit homicidij penā martyriū. Et. xxvj. q.
vi. c. Si p̄sbr. scribit̄. Uera ꝯfessio in vl
timo tp̱e pōt esse. q꞉ dn̄s nō solū tp̱is sꝫ
etiā cordis inspector est sicut latro vniꝰ
momenti tēp̱e meruit esse in ꝑadiso ī ho
ra vltime cōfessiōis. Et eadem cā ⁊ q̄sti
one. c. Agnouimꝰ. Celestinꝰ dixit. Per
didisset latro in cruce p̄miū ad christi de
xtrā pendēs si illū hore vnius pn̄ia non
iuuisset. Cū esset in pena penituit ⁊ pro
vniꝰ cōfessiōe sermonis habitaculū ꝑa-
disi eo penitēte p̄meruit vera ad deū con
uersio in vltimis positoꝝ mente potius
est extimāda q̄ꝫ ipe ꝓpheta hoc talit̄ asse
rente. cū cōuersus ingemueris tūc saluus
eris. Et eadē adhuc cā ⁊ q̄stiōe. c. Js q̄.
Leo papa sic asserit Misericordie domi
ni nec mēsuras possumꝰ ponere nec tp̱a
diffinire. apud quē nullas patit̄ venire
moras cōuersio. dicēte spū dei ꝑ ꝓpherā.
Cū cōuersus ingemueris saluꝰ eris. Pe
nituit ergo latronē illū p̄tite sue vite ma-
le acte. et penitenciā suā septē virtutibꝰ
decorauit. tribus scꝫ theologicis. fide spe
⁊ charitate. Et q̄ttuor cardinalibꝰ. vide-
licet. prudentia. iusticia. fortitudine ⁊ tē-
perātia. que v̄tutes infuse sibi fuerunt a
diuina gr̄a. ¶ Prima latrōis virtꝰ fuit
fides vtiqꝫ admirabil̄. Cū christo em̄ nū
q̄ꝫ fuerat cōuersatꝰ. nec forte an̄ nouerat
eū. Nō fuerat secutꝰ doctrinā eiꝰ nec etiā
vitā sed in op̱ibus impietatis se exercēs
iuste patiebat̄ exitiū mortis. Uidebat au
tē christū derisū ab oībus derelictū. pub-
lice ꝯdēnatū. afflictū. infirmū. opprobri
is ⁊ ꝯtumelijs saturatū. ⁊ iā morti vici-
nū. ⁊ ip̄e vicinus morti a nemine doctꝰ. a
nullo p̄monitꝰ dei filio credidit. Et illi q̄
eius doctrinā audierāt. miracl'a viderāt.
⁊ paulo ante de manibꝰ suis scrissimis ī
cibū corpus illiꝰ sumpserāt fugiēdo ne-
gabant. Iste solꝰ cū tacēte virgine ip̄ꝫ ve
re dei filiū indubitata fide in aīo suo cre
debat. ¶ Secūda latronis virtꝰ fuit spes
q̄ tāta in illo fuit ꝙ ab illo sperabat salu
tē quē in corp̱e ꝓprio videbat oīni salute
priuatū. ¶ Tercia v̄tꝰ fuit charitas Nā
totū q̄d habuit ipi iesu in amoris ꝑfecti
signū imolauit. Manibꝰ em̄ ⁊ pedibus
crucifixus nō valuit s̄uire sibi nisi tm̄ cū
duobꝰ mēbris. Primo corde. scd̄o ligua
Primo ei corde sibi timiama ꝑfecti odo
ris ardenti charitate sacrauit. Scd̄o v̄o
lingua sibi obtulit verificatū illud q̄d d̄r
Mat. xij. c. Bonꝰ hō de bono thesauro
cordis sui profert bona. Proinde q̄ttu-
or amores ardētissimos ligua sua de cor
de expressit.

¶ Primus fuit amor confessionis
¶ Secūdus compassionis
¶ Tercius correctionis.
¶ Quartus perfectionis

In q̄bus q̄dē amoribꝰ apte mōstrauit
q꞉ in q̄tuor dimensiōibꝰ crucis christo ꝑ
amorē crucifixus erat in cruce. ¶ Primꝰ
ḡ fuit amor ꝯfessiōis q̄ fuit sue crucis pro
fundū. dū sua prop̱a ac totiꝰ hūane gene
ris scelera ꝯfessus ē asserens, nos pena
libꝰ angustijs digne plecti cū ait. Et nos
q̄dem iuste. s. patimur. Nā digna factis
recipimus. In magnis q̄dē cognitōibus
ferebat̄ q̄ se iuste digneqꝫ pati profiteba
tur. Magna pars est venie apud deum
hec cognoscere sibi ⁊ fateri. ¶ Scd̄s fuit
amor compassiōis q̄ extitit latitudo, crucis

sue dū angustias iesu xp̄i pie excusabat· asserēs illas sine culpa ꝓpria sustinere· Et licet xp̄s a pilato iudice ordinario ac clamāte ppl'o fuisset ꝯdēnat⁹ ad mortē͂ Hic tn̄ latro respōdidit· Hic ṽo q̄d mali fecit· Cognouit equidē innocentiā xp̄i qui pctm̄ nō fec̄ nec dol⁹ inuētus est in ore illius· ⁊ h̄ ip̄o illuminā te quē latro publice fatebat̄ innocentē· ¶ Terti⁹ fuit amor correctiōis· q̄ extitit longitudo sue crucis dū blasfemantē latronē impiū charitatiua responsiōe cōpescuit dicēs· Neq̧ tu times deū· vide feruorē hui⁹ latronis q̄ ligno corpe pendēs corpaliū penaꝝ oblitus sodalē arguere ⁊ instruere nō veret̄· Neq̧ inquit tu times deū q̄ in eadē dam natiōe es· s· mortis· ¶ Quart⁹ fuit amor ꝑfectiōis q̄ extitit latitudo sue cruc̄ dū͂ toto mentis affectu atq̧ benigno lingue affatu cū inexplicabili cordis hūilitate ⁊ ꝯtritiōe necnō cū tota mentis deuotione ⁊ q̄ꝫtū ꝑmisit acerbitas ip̄a supplicij cū͂ ꝯuersiōe faciei benigna ad dn̄m iesū stupende admiratōis breuē orōnē effudit dicens· Dn̄e memēto mei dū veneris in regnū tuū· In qua om̄is consūmata perfectio mirabiliter cōnect̄· si deuota mens nouerit explicare· Sꝫ vt id aliq̄liter pateftiat· Primo ꝯsidera in q̄ꝫta fide ille latro fundat̄ q̄ in moriēte credit vitā et̄nā Sc̄ḋo vide q̄ꝫta spe firma ad eterna erigitur qui ab illo q̄ ab om̄i m̄ḋo eijcit̄ sperat celeste regnū Tertio pondera in q̄ꝫta excessiua charitate locat̄ q̄ sola dilecti iesu mēoria est ꝯtētus· ¶ Quarta ṽtus huius latronis fuit prudentia· q̄ nulla postulauit caduca ¶ Quīta virtus fuit fortitudo q̄ fecit eū supferri sup om̄ia scelera sua· ¶ Sexta ṽtus fuit tpantia q̄ in sola volūtate dei ⁊ saluatoris iesu xp̄i p̄mij mensurā reliq̄t· ¶ Septima ṽtus fuit iusticia s̄m quā reddidit sibi ꝯfessionē p̄cedēt̄ culpe proximo correctionē ⁊ christo honorē laudē cōpassionē ⁊ totalē sue volūtatis imolationē· Quare nō sine causa xp̄m ita sibi ꝓpitiū inuenit·

De septē dulcoribus seu ꝯditionibus promissiōis christi facte latroni ꝯuerso·
Cap· scḋm·

Secundū mysteriū declarandū͂ de latrone sancto dr̄ p̄mij Fuit eni͂ a xp̄o sibi largiflua charitate promissū premiū dū sibi dixit· Amen dico tibi q̄ hodie mecū eris in ꝑadiso· Licet vtiq̧ hui⁹ promissiōis tā admirāde de q̄libet ṽbo ꝑquirere sensū ⁊ tā ample ꝯfe ⁊ amoris inuestigare dulcores seu dulcedines· Septē nempe dulcedines huic latroni xp̄s ampla misericordia dispensauit·
Prima dr̄ iuramēti ṽitas
¶ Sc̄ḋa annūciata pietas·
¶ Tertia electiua charitas·
¶ Quarta tempor̄ breuitas·
¶ Quinta diuina societas·
¶ Sexta eterna stabilitas·
¶ Septima gloriosa iocūditas·

Prima dulcedo seu ꝯditio promissionis facte latroni de p̄mio dr̄ iuramenti ṽitas q̄ notat̄ in hoc verbo Amē· q̄ dictio significat q̄ verū est vt pꝫ de cō· dist· ij· c· Reuera· in fi· text⁹ ⁊ in gl· ⁊ · xxxviij· di· c· Sedulo· Et · xij· di c· De his· Et ex de filijs p̄sbr̄oꝝ nō ordinādis· c· Proposuit· Et in rōnali diuinoꝝ officioꝝ libro iiij· Qḋ em̄ xp̄s promisit in ṽitate promisit· Et vt ip̄e dixit Luce· xxi· c· Celū ⁊ terra trāsibūt· verba aūt sua nō p̄teribunt· Quasi dicat s̄m Nicolauꝫ de lyra super Matheū· xxij· ca· q̄ lꝫ transire debeat celū ⁊ terra nō q̄ corrūpent̄ q̄ꝫtū ad sbstantiā· sed q̄ cessabit mot⁹ celi ⁊ fiet trāsmutatio in elementis tn̄ nō p̄teribit ṽbū xp̄i qḋ est ipso mūdo stabili⁹· ¶ Sc̄ḋa dulcedo· seu ꝯditio promissiōis p̄mij facte latroni dr̄ annūciata pietas· Ille em̄ q̄ ex pietate venerat saluos facere pc̄ōres latroni dicebat. Dico· s· ego iesus dei filius qui veni saluū facere qḋ ꝑierat qui veni

vocare pctōres ad penitētiā ⁊ veni ꝗrere ouē ꝑditā vt illā imponens humeros meos reducā ad pascua vbertatis in re/gno celoꝝ. Ego inqꝫ qui sanguine ꝓprio redimere volui genꝰ humanū. ¶ Tertia dulcedo siue ꝯditio promissionis facte latroni dr̄ electiua charitas q̄ exꝓmit̄ cū xp̄us sbdit Tibi. q̄si dicat ꝙ nō obstantibus scelerībꝰ ꝑcedentibꝰ a te cōmissis. tn̄ ꝓpter penitentiā ⁊ ꝯuersionē tuā ego te elegi vt sis in numero electoꝝ meoꝝ. habetnāqꝫ penitētia tantā efficaciā vt ex impio hoīe faciat iustū. Ego dico tibi iā iustificato ⁊ recōciliato patri meo ac numero electoꝝ asscripto. ¶ Quarta dulcedo siue ꝯditio illiꝰ promissiōis dr̄ tꝑis breuitas. q2 subiūxit xp̄s hodie. O felix verbū retroactis tꝑibus amicis dei ꝓphetis ⁊ p̄triarchis clausū q̄ ꝑ tot ānoꝝ curricula a ꝑadisi gaudijs exulare cōpulsi sunt Fleuit Adam ꝓpter inobedientiā cōmissam. desiderauit xp̄m illūqꝫ coluit ac dilexit venturū ⁊ tn̄ cū vixisset ānis nōgētis triginta vt dr̄ Gen̄. v. c. in extremo vite xp̄m inuocās nō audiuit. Hodie eris in ꝑadiso. sed post exactos ānos quinqꝫ milia. Noe iustꝰ inuētus est in cōspectu dn̄i q̄ diluuij tꝑe in archa saluatꝰ est nihilominꝰ in vltio vite ꝯstitutꝰ nō audiuit. Hodie eris in ꝑadiso. Quīimo ad limbū descendēs ibi sedit in tenebris vsqꝫ ad cōpletā passionē xp̄i. Sic abraā. sic isaac. sic iacob. sic ꝓphete. sic deniqꝫ iusti oēs. latroni vo dictū ē. hodie idest statī post aīe a corꝑe tuo seꝑationē eris in ꝑadiso. Hic aūt latro exemplū est manifestū ꝙ illi q̄ nihil hn̄t purgabile decedētes ī charitate statī euolāt. ¶ Si aūt aliq̄s q̄reret q̄s potest esse adeo mūdus vt moriēs nihil purgabile retineat. Ad qḋ r̄ndemus hͦ fore possibile q̄nqꝫ rōnibus

¶ Prima dr̄ martyrij toleratōis

¶ Scd̄a baptismalis purificatōis

¶ Tertia intēse cōpūctiōis

¶ Quarta v̄tualis ꝑfectiōis

¶ Quinta plenarie remissiōis

Prima rō q̄re pōt q̄s absqꝫ aliq̄ purgabili ex hac vita discedere ⁊ statī euolare dr̄ martyrij toleratōis. Qui em̄ martyriū patit̄ purgat̄ ab om̄i labe ⁊ mox regnū celoꝝ ingredit̄. vn̄ Cyꝑanꝰ in quodā s̄mōe ait. O delicata passio ⁊ gl'iosa confessio. Absoluit̄ ꝑ martyriū aīa a vinculo carnis ⁊ in celo cū triūpho eleuat̄ ab angelis. Et ex̄ de celebratōe missaꝝ. c. cū marthe. dr̄ ꝙ iniuriā facit martyri q̄ orat pro martyre. q2 videlicet indubitant̄ creditur ad celū euolasse. ¶ Scd̄a rō dr̄ baptismalis purificatōis. In baptismo debite suscepto mūdat̄ aīa. Et mox baptisatꝰ moriēs euolat. vt pꝫ ex̄ de baptismo c. Debitū Et ad hͦ ostendendū baptisato xp̄o apti sūt celi Math. iij. c. ¶ Tertia rō dr̄ intēse cōpūctiōis. Dū em̄ ꝯtritio feruida est ⁊ intensa satis aufert om̄em culpā ⁊ debitā penā. Et de hmōi intensa cōpūctiōe intelligit̄ dictū Aug. ꝙ v̄a penitētia ad puritatē baptismi conat̄ adducere penitentē. ¶ Quarta rō ē v̄tuose ꝑfectionis. Dū em̄ aliq̄ ꝑfecte viuūt florentes v̄tutibꝰ heroicis sicut fecerūt bn̄dictꝰ dominicus frācisc9 ⁊ alij moriētes statim euolant. vn̄ Gregoriꝰ li. iiij. dialogorū ait. Justoꝝ aīe mox vt huiꝰ carnis claustra exeunt. in celestibꝰ sedibꝰ recipiūtur ¶ Quinta rō est plenarie remissiōis. scd̄ꝫ doctores Raymundū Hostien̄. ⁊ alios. Boni xp̄iani qui lucrātur indulgentias plenarias ab om̄ibus peccatis purgant̄ ⁊ morientes statim euolant. Que oīa satis credibilia facit exēplū latrōis. ¶ Quinta dulcedo siue ꝯditio promissiōis facte latroni dr̄ diuina societas. Hec notificat̄ in illo v̄bo mecū. ¶ Sexta ꝯditō eterna stabilitas. Jō subdit̄ eris. s. in eternū ꝑmanebis. Quicq̄d em̄ est in illa sanctorū beatitudine eternū erit ⁊ semꝑ ꝑmanebit. Eterna pax. eterna requies. eterne di

uitie eterna denique vita. Hoc iesus benedictus sepissime reserauit. Nam Johannis iii. c. ait. Sic deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret vt omnis qui credit in illum non pereat sed habeat vitam eternam. Et x. c. Oues mee vocem meam audiunt et ego do eis vitam eternam. Et Math. xxv. c. Ibunt hi in ignem eternum. iusti autem in vitam eternam. ¶ Septima conditio illius promissionis est gloriosa iocunditas que exprimitur cum dixit christus In paradiso. secundum nicolaum de lyra non accipitur hic paradisus pro orto voluptatis neque pro celo empirreo. sed pro fruitione beata quam habuerunt sancti patres in morte christi qui erant in limbo detenti. Statim cum eius anima descendit ad eos et eadem die illuc descendit anima illius latronis facta particeps beate fruitionis.

De quinque singularissimis priuilegiis latronis ad christum conuersi. Capitulum tertium.

Tertium mysterium declarandum de sancto latrone est de ipsius priuilegio. Fuerunt quippe in eo quinque priuilegia singularissima.

¶ Primum dicitur assimulationis
¶ Secundum associationis
¶ Tertium predicationis
¶ Quartum petitionis
¶ Quintum figurationis

Primum fuit priuilegium assimilationis. solus enim ipse inter membra christi assimilabatur christo in crucifixione et crucifixus crucifixo assimilatus est. Nec obstat quod crucifixus fuit pro sceleribus suis. quia post conuersionem fuit legitimum membrum christi et extunc pena sua configurata fuit similitudini mortis eius. ¶ Secundum priuilegium fuit associationis Solus ipse virginem matrem associauit in lamentatione dolorosa morientis filii dei. Factus est ei socius ei in fide atque dolore Nulla autem alia creatura presentis vite matrem associauit in istis. licet enim Johannes et magdalena amare deflerent morientem iesum non tamen vt deum pro redemptione humani generis morientem. vnde

eorum lamenta multum fuerunt informitate insipida. Solius istius latronis simul cum maternis fuerunt accepta lamenta. quia deum credidit desuper infusa fide quem cum incredibili dolore hominem ante suos oculos morientem vidit. ¶ Tertium fuit priuilegium predicationis. Nam iesu condemnato a iudeis impiis tanquam reo latro iste publice predicauit saluatorem suum et armis quibus potuit tanquam suus collateralis miles strennue defensauit. Non fuit iste tanquam seruus fugitiuus qui dimittit dominum suum in bello mori et fugit et de capite puniri. ff. de re militari. l. Desertorem. sed fuit tanquam seruus fidelis obsequens domino suo vt potuit vsque ad mortem. Et probabiliter credi potest quod latro iste increpauerit perfidos iudeos ac phariseos et scribas qui sic impie exultabant pro moriente iesu. ¶ Quartum priuilegium fuit petitionis. Iste latro solus postulauit salutem quando saluator mundi eam pro omnibus faciebat. vnde et abundanter eam recipere debuit sicut et fecit. ¶ Quintum fuit priuilegium figurationis. Nam ipse figuram tenuit et quasi vicem omnium electorum. vt enim inquit Leo papa in sermone de passione. Duo latrones vnus ad dexteram et alius ad sinistram cum christo crucifiguntur. vt in ipsa patibuli specie demonstraretur illa que in iudicio illius omnium hominum est facienda discretio. Ipsa enim crux tribunal fuit in medio cuius iudice constituto vnus qui credidit liberatus. Alter qui insultauit damnatus est. Per illum ergo latronem figurantur omnes electi qui in die iudicii stabunt a dextris christi quibus dicetur. Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum. Ad quod nos ipse perducat. qui viuit et regnat in secula seculorum Amen.

Feria quinta in cena domini. De mysteriis sacri eucharistie contentis in epistola huius diei. Sermo quadragesimussextus.

PRobet aūt se
ipsuȝ hō ꝛ sic de pane illo e-
dat ꝛ de calice bibat· Doctorꝫ
gentiū v̄ba sūt ista·j·ad corin
thios·xi·c·ꝛ in epl'a hodierna· Cūctorū
fideliū deuotio inflāmari dȝ h̄ tp̄e marie
ad sacratissimū corpus dn̄i nr̄i iesu xp̄i·
Statuit nāqȝ sancta mr̄ eccl'ia vt ī sācto
paschate ad min⁹ oēs vtriusqȝ sex⁹ q̄ per
uenerūt iā ad ānos discretiōis reuerēter
suscipiāt eucharistie sacr̄ȝ· Uerūtn̄ quia
multi sūt imitatores corinthioꝝ q̄ irreue
renť ꝛ īpudice freq̄ntare p̄sumūt dn̄icaȝ
mesā· Jō in p̄n̄ti s̄mōe s̄m ea q̄ in episto-
la recitanť de ip̄o altissimo sacr̄o v̄ba fa-
ciem⁹· Jn q̄ tria mysteria ab Apl'o tradi
ta declarabimus·
¶ Primū ē d sacr̄i eucharistie irreuerētia
¶ Scdm̄ de illi⁹ excellentia·
¶ Tertiū de eius freq̄ntia·
¶ Qualiter Apl's rep̄hēdit corinthios
q̄ꝛ irreuerēter se habebāt ad sacramentū
eucharistie· ¶ Cap̄· p̄mū·

PRimū mysteriū declarandū ē de
sacramēti eucharistie irreuerētia·
Rep̄hensibiles q̄ppe sūt ꝛ nō pa
rū illi q̄ irreuerēter se hn̄t ad istud ineffa
bile sacr̄m qd̄ Apl's ōn̄dit in·j·p̄te epl'e
vt eīn inq̄t· Nico· de lyra Apl'us arguit
corinthios de h̄ q̄ male se habebāt circa
sacr̄m eucharistie q̄ȝtū ad cibū· q̄ꝛ aliq̄ eo
rū sūpto cibo recipiebāt corp⁹ xp̄i sumen
tes argumentū ex h̄ q̄ xp̄s post cenā hoc
sacr̄m īstituit ꝛ discipulis dedit· Qd̄ tūc
fuit rōnabile q̄ꝛ ibi debuit inchoari veri
tas vbi cessauit figura· Hui⁹ aūt sacra
mēti figura fuit īmolatio agni paschali
Et iō post illi⁹ agni esū xp̄s instituit hoc
sacr̄m· Postea rōnabiliť statuit eccl'ia in
reuerētiā tāti sacr̄i q̄ non sumať nisi a ie
iunis· ieiunio nature qd̄ soluiť p̄ oē illd̄
qd̄ sumiť p̄ moduȝ cibi ꝛ pot⁹· Dies aūt
incipit a media nocte· Et iō q̄ post medi
am noctē aliq̄d sūpserit dicto mō reddiť
ihabilis ad sumēdū h̄ sacr̄m excusanť tn̄
infirmi· Jdē dic̄ Richard⁹ in·iiij·di·viij·
Dic̄ g̊ Apl's· Cōuenietib⁹ vobis in vnū
scȝ ad p̄ticipandū eucharistie sacr̄m iam
nō est idest nō l; vobis dn̄icā cenā mādu
care· Et sb̄dit cām cuȝ dic̄· vnusq̄sqȝ eīn
suā cenā p̄sumit ad māducandū· Añ eīn
sūptionē sacr̄i p̄parabāt sibi ī sua cibaria
ꝛ portabāt ad eccl'iam comedētes anteq̄ȝ
sumerēt sacr̄m· ꝛ sic diuites laute come-
debāt ꝛ bibebāt· paup̄es aūt esuriebant·
Jō sequiť apl's Et ali⁹ quidē esurit· ali⁹
aūt ebri⁹ est· Notandū v̄o h̄ loco s̄m pe
trū de tarantasia sup̄ epl'as Pauli q̄ du
plex est cena·s·bona ꝛ mala· Cena bona
q̄druplex est· Quedā corp̄alis in q̄ pau
peres reficiunť· de q̄ luce·xiiij·c· Cū fac̄
prandiū aut cenā voca paup̄es· Alia est
cena sp̄ūalis in q̄ donis dei aīe satiantur
Et de hac dr̄ Apoca·iij·c·in p̄sona dei·
Ego sto ad ostiū ꝛ pulso· si q̄s mihi ape
ruerit intrabo ꝛ cenabo cū illo ꝛ ille me-
cū· Tertia cena bona est sacramētalis q̄
fideles in altari pascunť· Et de hac diciť
Luce ¶ Homo q̄dā fecit cenam
magnā· Quarta cena bōa ē celestis q̄ be
ati fruūtur· Et de illa dr̄ Apoca·xix·ca·
Beati q̄ ad cenā nuptiaꝝ agni vocati sūt
¶ Cena v̄o mala q̄druplex ē· Prima est
voluptatis in q̄ hoīes inebrianť· Et de
ista Judith·xij·c·scribiť Holofernes fe
cit cenā s̄uis suis ꝛ inebriatus est· Se-
cūda cena est crudelitatis in q̄ iusti opp̄
mūtur· Sic̄ fuit cena herodis De q̄ dici
tur Math·vi·c· Cū dies oportun⁹ acci
disset Herodes natalis sui cenā fec̄ ꝛ in
ea Johēm occidit· Tertia est cena ābitio
nis in qua sup̄bi extollunť· Et de hac dr̄
Math·xxiij·c· Amāt p̄mos accubit⁹ ī ce
nis Q̄rta ē cena sup̄stitōis ꝛ errorꝫ sic̄ est
cena idolatraꝝ de q̄·j·ad corinth·x·c· Si
q̄s īfideliū vocat vos ad cenā ꝛ vultis ire
oē qd̄ vobis apponiť māducate nihil in

terrogātes ꝓpter ꝯſciaꝫ. In q̄b⁹ v̄bis cō
cedit Apl's licentiā comedēdi cū infide/
lib⁹ his q̄ infidelib⁹ prodeſſe p̄nt. Seq̄t
Apl's loq̄ns corinthijs Nunq̄d domos
nō habetis ad mādueandū ꝛ bibendū. i.
domos nō ꝯſecratas. in q̄bus dn̄t exerce
ri talia ꝯuiuia. Aut eccl'iam dei ꝯtēnitis
ꝛ ꝯfūditis eos q̄ nō habent. Quid dicaꝫ
vobis. laudo vos. In h̄ nō laudo imo. ſ.
vitupero. Et min⁹ dicendo pl⁹ ſignifi/
cat. Sed hodie xp̄iani multo grauius er
rāt q̄ꝫ corinthij circa ſacramentū iſtud ve
nerabile. Et hoc triplici rōne.

¶ Primo rōne incredulitatis.

¶ Scđo rōne culpabilitatis.

¶ Tertio rōne tepiditatis.

Primo aliq̄ errāt rōne incredulitatꝫ.
q2 nolunt credere realē exiſtentiā corpis
xp̄i i ſacro altarꝫ. vellēt ei altitudinē tāti
ſacri attingere vi nature ꝛ ingenij ꝓprij
Sed in h̄ nihil eſt inueſtigandū ſ̄m na
ture regulas cū oīa q̄ veraciſſime p̄di/
cantur. de hoc ſacramento referēda ſint
ad oīpotentiā dei. de q̄ Cicero in li. de na
tura deoꝝ refert. Nulli eſt nature ſ̄biect⁹
aut obediēs de⁹. Oēm ḡ regit ip̄e naturā
Credere itaq̄ꝫ debem⁹ pure ꝛ ſipl'r audiē
tes doctrinā ſanctoꝝ ꝛ eccl'ie ꝯfeſſioneꝫ
ac v̄ba xp̄i. Quoꝝ ſn̄ias diſtincte poſi
tas videre poteris in q̄dragesimali d̄ pe
nitētia in ſ̄mōe de v̄itate ſacramēti. ¶ Se
cūdo errāt cū irreuerētia circa ſacr̄m alij
ꝛ q̄dē m'lti rōe culpabilitatis q̄ p̄ſumūt
ī mortali culpa ſuſcipe corp⁹ xp̄i. ¶ Ter
tio errāt plerīq̄ꝫ rōne tepiditatis. q2 abſ/
q̄ꝫ feruore deuotiōis cōpūctiōis ꝛ medi/
tatiōis ad altare ſanctū accedūt q̄ notare
p̄nt ea q̄ ſcripſim⁹ ī q̄dragesimali de pe.
in ſ̄mone de cōione.

Ox ſacr̄m eucharistie eſt excellentiſſi
mū qđ declarat eius nomē ꝛ q2 ſupat alia
ꝫ q̄m fuit a xp̄o ſolenniter inſtitutum

Cap. ſcđm

Secundū myſteriū declarandū ē de
ſacramenti eucharistie excellentia
Hāc explicat apl's cū ait Ego em̄
accepi a dn̄o qđ ꝛ tradidi vobis ꝛc. q̄a
videlicet q̄ ſcripſerūt de h̄ euangeliſte ip
ſe accepit a dn̄o reuelāte. q2 dn̄s ieſ⁹ hoc
memoriale ſacr̄m īſtituit ſub duplici ſpe
cie in memoriaꝫ ſue paſſionis ꝛ mortis.
